



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Præcox profectus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Potest & celer propectus ex Perdici pullo, verum eo qui adhuc corticis parte aliqua velito, significari. Perdix siquidem moræ velut impatiens minime expectat ut ovum incubatione ad tempus aperiatur: sed occupatis spatiis sponte erumpit, pertulsoque ovo ubi primum caput exeruit, pedesque protulit, reliquo adhuc adhærescente cortice, procurrit, sibi que cibum enascitur.

REDITUS IN VIAM.

CAP. XLI.



B A Berrantem hominem aliquamdiu, falsa que ductum opinione, sed viâ demum redditum, & recta sententem ostendere qui volunt, Perdices duas grandiores faciunt, pullis aliquot inter utramque picijs. Si enim eveniat, ut Perdix ova sua fracta compererit, tanto incubationis studio afficitur, ut aliena surripiat, nidoque infoveat suo; verum illud evenit, quod divi Hieronymus & Ambrosius ex Hieremia tradunt, ut cum pullos eduxerit, illos amittat: hi siquidem audita illius voce, quæ ova pepererat, naturæ vegetatione perculsi, hac veluti nutrice deserta, ad eam se conferant, quæ ova illa unde exclusi essent ediderat. Clamasse, inquit vates, Perdicem, pullosque, quos minime pepererat congregasse, familiamque ita suam imprudenter auxisse, interimque pullis ad matris vocem procurrentibus, derelictam hanc insipientiæ suæ demum admoneri. Nostri tamen Theologi historiam hanc aliter interpretati sunt: alii enim per Perdicem malum dæmonem accipiunt, qui Dei fetus in privatis nido adulterina educatione sibi sperat enutrire. Per ova spem, quam de subigendis eis, & sub imperio suo detinendis concipit. Per eam vero avem, quæ vera mater est, quæ ova illa ederit, piorum conventum interpretantur, ad quem, uti legitimum & naturalem matrem, simulac vocem ejus audierimus, deserta falsa, procurrimus. Adamantius per Perdicem aliena ova consoventem, intelligit hæreticos, genus quippe hominum Perdici instar malignum, fraudulentum, callidum, quodque decipiendis venatoribus multum insumit operæ: ubi tamen veræ matris sanctioris quippe institutionis, vox audita fuerit, eos deserit, atque ita penas suæ insipientiæ luere.

*Perdix
aliena
ova con-
sovens,
hæretici.*

REI FAMILIARIS CONCORDIA.

CAP. XLII.

D Neque tamen aves hæc ita semper in libidinem efferascunt, ut non interdum ardor ille deserveat, & unanimi concordia mas & fœmina rem familiarem curent: quippe bina ovorum faciant receptacula, in quorum altero mas, in altero fœmina incubet, ova inter sese partiti, excludatque; uterque sua, atque educet. Quod quidem ansam dedit, ut rei familiaris concordiam in consortibus, per duas Perdices incubantes exprimere voluerint: cui rei adversari videtur, quod superius de perdita earum incontinentia dictum, ubi marem ova frangere indicatum libidinis impatientia, ne fœminæ incubatione detineantur. Sed id non semper, sed interdum recidere positum.

ASTUTIA IN EVITANDIS PERICU-

LIS VAFERRIMA

CAP. XLIII.

Quin etiam vaferrimum in periculis evitandis hominem astuque maxime pollentem significantes, Perdicem & venatorem pingunt, quæ quo pacto secantem eludat, & Aristoteles, & ab eo Plutarchus, accuratissima narratione perscripserunt: quæ scilicet pullos adhuc involucres supernos prosterni, seque stramentis & paleis obtegi, adventante venatore, ad sibilli significationem alluefaciat: ipsa vero ante aucupis pedes provolans, sui spem capiundi facit, mox abvolet, ac subinde redeat, donec ita illudens abducatur eum à pullis procul, repetitoque mox sibilo, ut Aristophanis interpres

*Arist. libr.
de nat. ani-
mal. c. 9.
Plutar. lib.
viri prud.
animalia.
terr. an ma-
rina.*